

Nihilominus tamen Deistæ & Vniversarii aliquid cum illis commercii habent, quos *Dogmatistas* nuncupamus, voce in sequiorem sensum (ut fieri fere solet) accepta, non *Dogmaticos*, quamvis & suorum absurditate errorum, & neglectu solidioris doctrinæ ac methodi haud difficulter confutentur. Eos autem sigillatim *Dogmatistas* vocamus, qui dogmata, falsissima quidem, sed facilius a genere humano admittenda, conquisitis etiam variis hypothesebus & dogmatica industria atque accuratatione defendere conantur. Qui quidem, ubi consilia ista non satis succedere vident, ad Scepticorum fraudes velut ad arcem se recipiunt, atque ut plurimum dimacharum, quæ dicitur, militiam ineunt, & Dogmatismo, & Scepticismo simul, meliorem causam impugnant. Observatum fere est, homines istos quamprimum dogmata conficere sibi hypothesesque exsculpere cœperunt, multo minus esse, quam antea fuerint, perniciosos, quoque constantius id faciant, eo facilius superari.

II. Non hic eas repetemus Prænotiones, quæ dogmatibus Deistarum & Vniversariorum opponendæ sunt, sed ad alia, ut diximus, nos conferemus, cumque, si ab his recesseris, Dogmatistæ vel crassiores sint, vel subtiliores, utrique autem vel Naturalistæ, vel Fanatici, de Naturalistis, iisque crassioribus, primo loco agemus. Hi, quantum quidem

U
dem